

CXL.

Anno 1458. 2. die festi Penthecostes. Albae Regiae.

Decretum antecedens Regis Ladislai de proventibus Mardurinalibus solvendis a Mathia Rege anno 1458. confirmatur.

Nos Mathias, Dei gracia Rex Hungarie, Dalmacie. Croacie etc. Memorie commendamus tenore presencium significantes, quibus expedit vniuersis. Quod nostre Maiestatis venientes in presenciam fideles nostri vniuersi Nobiles Regni nostri Sclauonie exhibuerunt et presentauerunt nobis quasdam litteras Serenissimi principis domini Ladislai similiter Regis Hungarie etc. predecessoris nostri suo secreto sigillo, quo vt Rex Hungarie vtebatur, super limitatione solutionis prouentuum mardurinalium e medio populorum et Jobagionum eorundem Nobilium fisco Regio prouenire debentium, modo et ordine inferius in tenore earundem litterarum dicti quondam Ladislai Regis specificata impressione consignatas, tenoris infrascripti, supplicaruntque iidem Nobiles Maiestati nostre humili precum cum instantia, vt easdem litteras prefati quondam domini Ladislai Regis ratas, gratas et acceptas habendo, litterisque nostris priuilegialibus verbotenus inseri et inscribi faciendo, pro ipsis Nobilibus dicti regni nostri Sclauonie presentibus et futuris innouantes, perpetuo ualituras confirmare dignaremur, quarum quidem litterarum tenor is est: Nos Ladislaus Dei gracia Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Rex, Austrieque et Stirie Dux, nec non Marchio Moraue etc. Significamus tenore presencium, quibus expedit vniuersis, quod nostre Maiestatis venientes in conspectum fideles nostri Egregii Nicolaus de Dombo, Turbeltus de Bersthyanovecz, Stephanus Byczkele de Zelin, Nicolaus de Zenthlylek, Nobiles et Nuncii vniuersitatis Nobilium ac possessionatorum hominum Regni nostri Sclauonie, in ipsorum ac eiusdem vniuersitatis nominibus et personis, nobis ac Prelatis, Baronibus et Consiliariis nostris exposuerunt in hunc modum: Quomodo preteritis temporibus Vicebani dicti Regni nostri Sclauonie nec non Comites et Vicecomites et Iudices Nobilium Comitatum eiusdem Regni, item dicatores et exactores collectarum seu prouentuum mardurinalium nobis ex eodem Regno de antiqua consuetudine prouenientium circa dicationem et exactionem eorundem non solum onerosas, verum etiam plurimum dampnosas consuetudines induxissent, quibus multis iam temporibus preteritis incolas eiusdem Regni nostri diuersimode grauassent, inter quas precipue hee essent: quod vnumquemque villicum, qui ab huiusmodi collecta mardurinali omnino supportatus esse debet, in vno floreno auri dicare, nec non de singulis dicis sex denariorum Soldinos, item de vnoquoque sigillo similiter sex denarios, et quittancia seu expeditoria duodecim denarios extorquerent, item per portarium seu hostiarium ipsorum exactorum mardurinalium a quolibet villico intrante vnus denarius et de singulis dicis simi-